

videri poterat Othonem, qui eximia Urbani liberalitate creatus præsul, singulari^q. demum Clementis studio in repetenda dignitatis sede vsus fuisset, ab eo demum qui & gentilis esset, & amicissimus putaretur, deseriri & eludi penitus hostiliterque traduci. Sed in Othone ea vis constantiae virilis exactæq. prudentiæ erat, asperrimarum rerum usu, & prouectæ iam ætatis cursu confirmata, vt tum maxime sperare inciperet, quum cæteri exules animum despondere viderentur. In summis enim egregie educati hominis dotibus reponebat, non frangi animo in aduersis, putare fortunam viuida virtute inferiorem eamq. contemnere, vti penitus instabilem, atque ideo quum auersa tam diu esset, non multo post in complexum commutata libidine reddituram. In eo animi habitu quum aliquandiu ad Bugellam substitisset, intentusq. in omnes rerum nouarum motus, aliquam efferendi sese, & renouandi belli occasionem circumspectaret, Gregorius Aretii decessisse nuntiatur. Nec mora ad eam famam patritia gens circumquaque ex infelicitate belli dissipata, ad Othonem coit, in communi consulitur, & quum duce militari atque opulento, qui afflictas res atque humi prostratas erigeret, maxime opus esset, Gothifredus Languscus deligitur. Hic erat natalium atque opum claritate apud Ticinenses facile princeps, gloriæ & imperii auditus, & quo maxime placebat, Turriano nomini apprime infensus. Nemo enim è Cisalpina Gallia non suspectabat Napoⁱ opes, vti in immensum adauctas, coniunctasque Apulo regi, Roma^o nōque pontifici, quodque finitos terrere poterat, noui etiam Cæsaris amicitia atque præsidio confirmatas. Bergomum enim, Cremam, Comum, Laudémque Pompeiam, Turriani certo iure in potestatem redegerant, iterque Ticinum & Abduam, atque in propinqua Rheticas alpibus Volturena valle, expugnatis & excisis nobilium arcibus, cuncta subegerant. Itaque Languscus amplissimis patritiorum pollicitationibus oneratus (eum enim Mediolani prætorem cum militari imperio, opimisque stipendiis designabant) & suo fatali iudicio inductus, se partium ducem futurum profitetur. Euocat vndiq. veteranos & è Laumellino agro loricatas cohortes, sagittariosque item ex Liguria mercede conducit, ante omnia equitatui studet, vt Germanorum turmis resistat. Paucis diebus in eo apparatu consumptis, & sublatis signis ad Verbanum lacum proficiscitur. Nullum fuit in ea præfectura oppidum, quod non statim aperiret portas, Erat enim in eo tractu vicecomitum familia admodum potens & illustris, & iam erat cunctis inuisa Turrianorum aceritas, qui superiore bello, præda & cæde aduersariorum non contenti, etiam in ipsa tecta & segetes igne seuierant. Itaque Arona & Angleria statim recipiuntur. Otho ipse cum valida manu in Sepriensem regionem irrumpit, ea intercincta Ticino atque Olona amnibus ad Verbanum usque vicos atque oppidis florens extenditur, ab oppidoque Seprio nomen dicit. Hoc Othoniani facile

expu